

Huntman Add. 155

ORDINIS MEDICORVM

IN

VNIVERSITATE LIPSIENSI

H. T.

PROCANCELLARIVS

D. IOANNES CAROLVS GEHLER

ANAT. ET CHIR. P. P. O. FAC. MED. ASSESS. MIN. PRINC.

COLLEGII COLL. SOCIET. OECON. LIPS. MEMBR. HON.

CIVIT. LIPS. MEDICVS OBSTETRIC.

*PANEGYRIN MEDICAM*

AD D. XIV. NOV. c1813cclxxxiii

INDICIT

*De vteri in partu rupturam minitantis therapia*

DISSERENS.






Cum nuper in ea, quam de vtero, in partu rupto, edidi, scriptiuncula de causis aequae ac de signis, quae matricis, foetus-expulsionem molientis, dilacerationem vel futuram praefragire, vel iam factam certissime indicare soleant, sufficienter disputatum sit, quae tam supererant in hac noua scribendi oportunitate addere mecum constitui, atque breuiter dicere de iis, quae in tam graui malo, tristissimaque parturientis forte obstetricanti medico agenda esse videantur. Erit vero in quouis eligendo huius mali auxilio semper curatius respiciendum ad id, quod in dicto iam libello sat luculenter, ut puto, a me fuit demonstratum, esse nimirum veram et vnam rupturae vteri causam in ipsa eius vitiata quodammodo, varia de causa, textura ac fabrica quaerendam; atque omnes reliquas causas, quas copiose plerique auctorum enumerant, siue istae a foetus incongruo situ aut capitis eius nimia mole, siue ab aliis extra vterum deprehendis a naturali indole recedentibus rebus pendeant, ad id causarum genus esse referendas, quod *ocasionales* pathologis dictas in se comprehendit. Satis enim superque, experientia teste, constat, ex his causis omnibus vnam alteramue, vel haud raro plures sibi simul iunctas, saepenumero ab obstetricantibus in tali partus negotio observari, quod, licet iusto lentius omnino procedat, absque tamen matricis disruptione perficitur atque a sola natura finitur; hinc dilucide



omnino apparet, singulam earum efficiendo tanto malo impari omni esse, nisi iam alia quaedam, quam *praedisponen-*  
*tem* dicere solent artis medicae magistri, in ipsa vteri fabrica ad-  
sit, quae visceris huius in hoc aliove loco nimiam distensionem  
indeque oriundam extenuationem fieri permittat. Neque ta-  
men ideo suafor vnquam extiterim, has modo dictas a viris  
in arte peritissimis recensitas causas prorsus negligere, aut in  
decernendo ferendi auxilii genere eas nullo modo attendere,  
cum lubenter confitear, posse eas, modo mature cognoscan-  
tur, haud raro rumpendi vteri metum iniicere, atque sic obstre-  
tricantem monere, vt statim apta methodo cauere summa ani-  
mi contentione allaboret, quo minus, quam partus minuitur,  
dilaceratio haec adeo extimescenda eueniat.

Erit vero in tam diro tantique discriminis pleno malo id  
sedulo curandum artificio, vt vel, quod omnino praestat, de illo, ex  
certis signis futuro cognito, variis in vsum vocatis artificiois  
auertendo cogitet; vel, si iam disruptum vterum esse intellexe-  
rit, omnes causas, quae adhuc tam matris quam foetus vitae  
maxime insidiantur, apte et, quam potest fieri, ocyssime re-  
mouere annitatur, vel certe dirissimis, quae hoc malum con-  
comitari solent, sequelis obuiam ire sollicite studeat. Ad  
quod consilium rite exsequendum, optandum omnino esse qui-  
libet harum rerum peritus facile perspiciet, vt sint certa ac in-  
dubitata signa, ex quibus ominari vereque praedicere artis  
gnari possent, imminere absque dubio nunc vteri, foetus ex-  
pellendi causa se valide contrahentis, rupturam: quo, iis dete-  
ctis, valeant tollere causas huic contractioni, aut potius foetui  
prorumpenti, resistentes, atque hac ratione futuram vteri di-  
lacerationem multo faciliori negotio auertere, quam postea,  
rupto iam vtero, parturientem certissimae fere morti eripere.  
Longa enim docuit experientia, vix vnquam, cui hoc malum  
acciderit, vitae periculo fuisse subtractam. Duo mihi tantum



nota sunt felicioris huius fortis exempla, vnum ab HEISTERO relatum, alterum in Gallorum diario, *Journal de Medecine, Chirurgie, Pharmacie* cet. a cel. ROVX commemoratum. Sed licet amplum possis horum signorum catalogum a CRANZIO, in saepius iam a nobis nominato libello, consignatum invenire, dolendum tamen est quam maxime, haec omnia ita omnino esse comparata, vt celeberrimi et in artis obstetriciae vsu exercitatissimi Viri, quorum vnum BAUDELOCQVIVM nominabo, merito contendant, anceps modo et dubium posse ab illis peti ferendae opis aut certe praestandae prophylacticae curationis consilium. Quod et ipse CRANZIVS aperte fatetur, cum §. XXIII. ita differit: *si tanta in signis huius casus allucinatio, si eiusdem causae multiplex eventus esse potest, merito dubitare subit, an ab hac causa rumpendi uteri prophylaxis possibilis?* Neque fallacem hanc et dubiam signorum horum indolem tollere mihi videtur summus ille vir adiecto, quod irrevocabile dicit et omnem dubitationem diluere putat, praecepto, quo nimirum statuit: *in casibus, in quibus, etiam bene conformata pelui, capitis infantis vastitas difficultatem partui adfert, cum evidentibus rumpendi uteri signis (sed qualia quaeso putat esse vere eidentia?) partus a natura sperari citra culpam non potest, nec citra ignorantiam debet.* Licet enim existimet in tali casu natam ex bene conformata pelui felicioris partus spem inanem esse ac lubricam, fuisse tamen permultos infantes, vasta quibus ac ingens erat capitis moles, lente quidem, saluos tamen et illaefos, a naturae viribus, absque uteri dilaceratione e matris gremio propulso, multorum seculorum comprobata experientia. Ast si accesserit nimiae capitis crassitiei mala ossium peluis forma, qua in primis superior cavitatis eius apertura adeo compressa et coarctata sit, vt nullo modo caput transprimi a viribus maternis, nec forcipe prehensum protrahi queat, tunc esse omnino summa cum veri similitudine uteri rupturam metuendam, nemo facile in dubium vocare audebit. In tanta ergo signorum, quae imminentem rupturam praesagire pos-




sunt, fallacia, certe non vni fidendum erit, sed omnia collecta probe ponderanda sunt, atque inde quid ad saluandam matrem ac prolem suscipiendum sit, definiendum.

Commemoranda hinc esse nunc ea videntur celebrium virorum consilia, quibus posse auerti funestam hanc vteri plagam existimant. Videmus vero duplicem viam ingredi artis principes, cum vel adhibitis ex pharmaceutico fonte variis medicamentis huius mali causis occurrere tentant; vel, si huic medicinae locus non concedatur, manu aut ferramentis tollere ac removere causas occasionales suadent. Ne nimis longus sim, trium tantummodo virorum in arte clarorum, LEVRETI, CRANZII, BAUDELOCQVII praecepta addam, quibus posse hanc mali, saepius dicti, prophylacticam curationem optime praestari asserunt.

LEVRETUS omnium primus fuit, qui de prophylaxi rupturae vteri quaedam tradidit. In larga venae sectione, qua tantam sanguinis copiam parturienti subtrahere suadet, ut ea tandem animo linguatur, praestantissimum huius mali praesidium quaerit. Neque tamen hoc tanti in arte obstetricia praeceptoris consilium huic indicationi aptum, mihi certe, videtur. Primo enim ut de signo mali imminentis, quod ipsi certissimum ac pathognomicum est, dicam, quodque in violentiori quodam infantis ad vterum succussu atque inde enato parienti circa epigastricam regionem summi doloris sensu ponit, illud aequae incertum ac lubricum esse, quam omnia, de quibus supra iam dictum est, quibus obstetricantium fatebitur. Et si enim, aquis adhuc stantibus, ut aiunt, talis in vtero foetus motus vehementior percipitur, non statim tantum extimescendum esse malum existimauerim, sed potius hoc viuidiori motu, licet parienti ille molestus sit ac dolorificus, de vita foetus superstitie me certiore reddi gauderem. Si vero, rupta iam aquarum vesica, liquor amnii effusus fuerit, vix verosimile erit, ut in  
priori



priori libello iam monui, posse infantem, ab vtero arcte compressum, ira pedibus suis calcare matricem, vt metuenda sit, ab hoc succussu oriunda, vteri dilaceratio. Ipsum deinde adeo laudatum instituendae venaesfectionis remedium vix poterit, mea quidem sententia, timendi mali causam vllō modo tollere; cum euacuatīs hoc modo sanguiferis vteri vasis, eius compages mollior nunc et extenuationi nimiae non solum multo aptior fiat, sed et tanta sanguinis iactura parientem adeo debilitet, vt vix ad foetum propellendum ipsi vires supersint. Hinc, certe in quibusdam casibus, nocere magis quam prodesse venaesfectionem adeo largam putauerim. *BAUDELOCQVIVS* remouendis causis, vteri fissuram efficientibus, apta interdum esse censet, balnea; fottus; fomentationes; iniectiones in vaginam muliebrem e mucilaginis variis compositas: posseque iis harum causarum varias vel prorsus tolli, vel certe tantopere infringi, vt contrahenti vtero tam valide amplius resistere nequeant, existimat. Licet vero non negauerim emollientium vsu, inprimis si ad ipsum locum, qui ob nimiam suam, a diuersa causa ortam, duritiem, e. g. scirrhosam aut callosam indolem, orificii vterini dilatationem impedit, applicari haec dicta pharmaca possunt, istas partes omnino laxari ac distensionī necessariae fieri aptiores, quae antea nimium resistentes rupturae vteri veram causam mirum in modum augebant; cum tamen fieri nequeat, vt eorum vi vteri ipsius compages non simul emolliatur, nocere mihi ea omnino videntur eodem modo, vt mox de venaesfectione monitum fuit. Hinc nunquam hisce e pharmaciae fontibus haustis tanti mali praesidiis fidendum esse autumo, ne eorum vsu verum auxilium nimis diu differatur. Quilibet enim, vel me non monente, perspiciet facile, esse omnem salutis spem in eo ponendam, vt, quam potest fieri ocysissime, foetus, cui exitus ex vtero, a validis, quae adesse percipiuntur, contractionibus matricis expectandus, denegatur, arte a perito obstetricante protrahatur, ne nimia in loco vteri adfecto extensio ulterius



superare nequeat, huius chordae discissio prodesse, vix tamen existimauerim, posse a tali chorda tantam fieri foetui prorumpenti resistantiam, vt contrahens se vterus findi ac dilacerari queat.

Expositis nunc quae de prophylaxi rupturae vteri dicenda erant, essent commemoranda ea, quae si iam ruptus vterus, foetusque, vt plerumque fieri solet, in abdominis cavum prolapsus fuerit, obstetricanti suscipienda sint, ad matrem foetumque, si fieri possit, saluandos. Quae tamen, cum altioris omnino indagationis sint, quam, vt in ea, quae nobis superest libelli angustia queant satis explanari, subsistamus hic, proxime de iis paulo fusius et curatius acturi.

Commendandus enim nunc est publice:

VIR

CLARISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS

**GVILIELMVS AVGVSTVS HEISTERBERG**

MEDICINAE BACCALAVREVS DIGNISSIMVS

qui, per sex integros annos in Nostra academia commoratus, laudabili assiduitate in id incubuit, vt solidam sibi rerum medicarum cognitionem compararet. qua bene riteque instructus non modo ad summam medicae artis dignitatem cum laude adspirare, sed et editis legitimis speciminibus et impetrata a nobis artis exercendae facultate, ciuibus suis inferuire eorumque sanitatem tueri posset. Quod, quam iuste a nobis factum sit, luculenter perspiciendum erit ex iis, quae de vita  
sua






sua hucusque peracta nobis ipse exposuit, quaeque pro more recepto hic breuiter recensenda sunt:

*E*st mihi, inquit, natale solum tractus Saxoniae montanus; ibi in oppido OEDERAN dicto, anno huius seculi LVII. d. XVIII. Februarii lucem conspexi. Suscepit me pater, ad cineres usque deuenerandus, HENRICVS GVILLELMVS Med. Doct̃or. praxin medicam summa cum laude, et omnium civium suorum plausu exercens, ex matre IOHANA ELEONORA, e gente POERNERIANA. De quorum dilectissimorum ac carissimorum parentum vita, per diuinam gratiam adhuc superstite, maximopere omnino laetor, nihilque noui, quod me magis felicem reddere, aut optabilius mihi contingere possit. Factum enim est eorum prouida cura indefessoque studio, ut optimis tam cultus diuini numinis, quam bonarum artium literarumque fundamentis, in Scholis Senatoriis patriae urbis aequae, ac domesticorum praeceptorum fidelissimis institutionibus instruerer ac munerer. Cl. nimirum RVHMOR Reñtor Scholae Oederanensis tum optime meritus, cuius mortem lugeo ac semper lugebo, summa cura ac fide mihi religionis, geographiae, historiae, latinae linguae elementa, morumque regulas tradidit, ac praeterea me tot tantisque beniuolentiae et propensi animi testimoniis exornauit, ut laetus gratusque meus animus, quibus in me collata ab eo beneficia satis praedicare debeat verbis, prorsus nesciat. Commemoranda quoque ac laudanda est praestita mihi beniuolentia Ampll. Virorum M. SCHOENHERRI et



WILLISCHII, oppidi patrii Cantoris, quorum uterque latinae aequae ac graecae linguae cognitione me erudire ac instruere fidelissime annisus est. Quo autem magis ad altiora studia literarum tractanda sensim praeparari queam, Optimi parentis iussu Fribergam Hermundurorum me contuli, atque in florentissimo huius urbis gymnasio Cl. virorum BIEDERMANNI, IÜNGERI, HVEBLERI et HECHTII instructione, in omnibus, quae ad humanitatem pertinent, literarum generibus usus fui. Tandem anno LXXVII almam hanc musarum sedem petii, et a demortuo BELIO academiae fasces tunc temporis tenente, in civium academicorum numerum receptus sum. Audiui in hac literarum uniuerstate Cl. ZWANZIGERVM Logicam et Metaphysicam; Cl. WIELANDVM, Physicam; et Exc. ERNESTIVM auctores quosdam classicos explicantes. Historiae ecclesiasticae cognoscendae causa adii S. V. BYRSCHERVM. Ut tandem propius ad medicae artis studium, cui me totum fouere patris optimi exemplum excitabat, accederem, Botanicæ, Anatomiae, Materiae medicae scientiam hausi ex Magn. BOSII et Exc. POHLII iun. institutione. In Chemia rationali, Therapia speciali, medicamentorum apparatu penitus cognoscendo me erudiuerunt Exc. LEONHARDI iun. nunc in Vitebergensi academia Prof. Publ. Ord. et Exp. GALLISCHIVS cuius praematuram mortem mecum omnes ingenui dolent quam maxime. Magn. PLAZIVM, Venerandum Senem et Facultatis medicae Decanum maxime spectabilem ducem me habuisse in Therapia

vtra-



utraque, *Medicina forensi, Historia medicinae, et arte medicamentata tam externa, quam interna rite adplicandi in maxima felicitatis meae parte pono; gratusque praedico summa huius egregii Viri in me collata beneficia; totque ac tanta beniuolentiae documenta, ut cum ad ea remuneranda omnis gratiarum actio verbis expressa impar profecto sit, eam intra grati pectoris sensum referuabo. Id certe spondeo atque in me recipio, huius summi atque obseruantissime colendi Fautoris, et splendidissimae suae familiae memoriam, quoad viuam, mihi fore indelebilem sanctissimamque. Exc. POHLII b. m., cuius cineres adhuc summo cultu vensror, praedictionibus pathologicis interfui. Exc. GEHLERVM in Physiologia, Anatome et doctrina de morbis oculorum praeceptorem elegi. Ex institutionibus fidelissimis atque solidissimis Exc. KRAVSII, Praeceptoris et Fautoris pie deuenerandi, pathologicis, therapeuticis, chirurgicis et clinicis insignes in me redundasse atque vberimos fructus, gratus profiteor. Magn. PLATNERVM Logicam, Metaphysicam, Philosophiam moralem, Anthropologiam, Diaeteticam, Physiologiam et Medicinam forenses explicantem, summa cum animi voluptate audiui. Exc. HAASIO humani corporis oeconomiam illustranti adsedi, ipsique permultum in arte cadauera apte dissectandi debeo. Exp. LEONHARDO sen. praeterea maximas ago habeoque gratias, pro ea, qua me ornare cognitionemque meam in ipso artis usu firmare studuit beniuolentia, eo, quod aegros visendi largam mihi concesserit copiam.*




*His omnibus ac singulis per omnem vitae meae tempus summa obseruantia colendis Fautoribus et Patronis diuinctissimum profiteor animum, sancteque polliceor, me tantorum beneficiorum, quibus me dignum iudicarunt, nunquam non fore memorem. Mulcet et animum meum dulcis recordatio summi fauoris, quo exhilaratus ab Ordine medicorum gratioso, stipendio Quellmalziano per tres annos frui potui.*

*Mense Maio anni LXXXI post superatum primum examen Baccalaurei honores in me contulit beniuole idem Ordo venerabilis; quibus condecoratus praelectiones pro more antiquo publice de morbis viarum lacrymalium, habui. Nuper tandem ad alterum, practicum quod vocant, examen admissus summos in arte medica honores capeffendi veniam benignissime impetraui.*

Quam vt ipsi concederemus, effecit omnino Noster apte satis ad quaestiones propositas respondendo; atque sic conquisitae suae in doctrinis medicis scientiae copiam bene ac luculenter comprobando.

Supereff nunc, vt vltimum praestet, quod leges academicae poscunt, officium, atque publice Dissertationem inauguralem contra aduersarios defendat. Faciet id sequenti die Veneris sub Magnif. Ordinis Nostri Decani, Fautoris Venerandi, praesidio de *humoribus morborum causis* disputaturus. Quo certamine docto finito et ego faciam, quod mei muneris est, et tribuam Ipsi, instructus clementissime Procancellarii auctoritate, merita doctrinae ac diligentiae suae praemia; daboque

Licen-




Licentiam, Doctoris in arte nostrâ gradum capiendi. Rogo igitur obseruantissimis atque humanissimis precibus RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM; PRINCIPES CELSISSIMOS; COMITES ILLUSTRISSIMOS; VTRIVSQVE REIPUBLICAE PROCERES; GENEROSSISSIMOS NOBILISSIMOSQVE VNIVERSITATIS NOSTRAE CIVES, vt huic solennitati interesse, eamque praesentia sua splendidiorem facere, meque iterum: *de nimia sanitatis cura saepe noxia* differentem beniuole audire velint: cuius fauoris Ordini meo mihiqve praestiti memoriam nunquam ex animo meo excidere patiar. P. P. Dominica XXI post Fest. Trin. cl̄ōccclxxxiii.

---

LIPSIÆ

TYPIS VIDVAE BVISCHELIAE.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



THE GREAT WALL